torpor irritum esse sinat. Valeque felix et noster. — Iustinopoli, xvij° Kalendas novembr. [1367 ?].

12.

Epistola antedicti domini Pauli de Bernardo ad Philippum Cavallo civem patavinum, Virum prestantis ingenii [a]).

[Vat. cc. 105 *r*-105 *v*; Vi. c. 341 *v*; M. c. 185; L. c. 100].

Excitasti me pridem, frater mi, benivolis scriptis et a sincera prodeuntibus caritate, et quantum fas fuit amico labentem, ne dicam prostratum animum erexisti. Hinc ego etsi alias semper, tum vero precipue tibi obnoxius manum ad calamum appuli, acturus grates quas poteram, et pro qualitate rei et temporis aliquid rescripturus. Distraxit me, fateor, ab hoc effectu tam placido quotidiana occupatio mentis et corporis, in qua, ne multis te implicem, sentis quid dicere velim. Denique secunda instantia victus, ad calamum iterum redii, qui, ut magnum solatium est bene composite mentis, sic certe turbati animi ingens fastidium. Nec tamen quid dicere possim in promptu habeo, tot adeo in hac tumultuosa vita dicenda se offerunt. Ut autem morem tibi gererem, cepi propositum exequi. Verum ut difficultatem nostram intelligas, ter hec paucula verba scribens interruptus sum, ita ut pro me dictum putes Ovidianum illud: Ter tecum conata loqui, ter inutilis hesit lingua, ter in primo destitit ore sonus. Proinde si verba parum composita legeris, parces non dubito, et excusabis errorem meum prudentia tua, que facit ut tecum agam simpliciter omni figmento postposito, sitque dulce confabulari tecum, ubi tempus et res ad silentium magis vergit. Ovid. Her. IV, 7.

Porro ut multa preteream que ex fluctuanti pectore possum exprimere, ad id venio quod ultimo invexisti, me scilicet more

---

57 et] *om. Vi. M. L.* 58 *Vi. M.* XVIII. *L. termina con* Vale.

a) Cfr. a pagg. 76, 98, 147, 149, 151, 159, 160.

2 Philippo Cavallo civi Patavino prestantis ingenii viro, *Vi. M. L.* 3 mi] *om. Vat.* 5 *M. L.* dico. 6 *Vat.* obnixius. 8 *Vat.* affectu. *M. L.* placida. 11 qui] *M. L.* quod. 15 hec] *om. Vat.*